



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 4. Querelæ Imperatoris adversus Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

§. IV.

Sæcul. XII.
A. C. 1186.*Querelæ Imperatoris adversus
Papam.*

Fridericus Imperator in Germaniam *Arnold. c. 17.*
 redux, haud ignarus, Urbanum Pa-
 pam contra se nihil non acturum, omnes
 alpium & vicinarum regionum vias ob-
 sidere iussit, ne quicumque demum ex
 Germania ad Curiam Romanam profi-
 cisci posset. Quare Pontifex Philippum
 Archiepiscopum Coloniensem Legatum
 suum in Germania constituere coactus
 est. Imperator, hoc Præsule ad se vo-
 cato, quærit, an sibi fidem servaturus es-
 set. Respondit Philippus: *Non puto,
 Domine, dubitare te posse de fide mea, to-
 ties tibi explorata. Verumtamen, ut
 tibi omnium Episcoporum ore loquar, si
 indulgentius nobiscum ageres, multo ma-
 gis tibi devinctos haberes. Justam con-
 querendi causam sibi esse Papa existimat,
 quod post Episcoporum obitum, spolien-
 tur Ecclesiæ, mobilia omnia auferan-
 tur, anni currentis redditus excipiantur,
 sicque successor nihil ab antecessore reli-
 ctum inveniat. Si banc vexationem a
 nobis removeris, Conciliatores pacis in-
 ter te & Papam erimus. Si nihil con-
 donaveris, nostrum erit veritatem non
 prodere.* His reposuit Imperator: *Cer-
 tissime*

N 2

tissime

Sæcul. XII.
A.C 1186.

tissime scimus, Imperatores, Antecessores nostros, Ecclesiarum Episcopaliū Inveſtituram contuliſſe, & viros longe digniores, ac nunc ſubrogantur, poſtquam vobis Electionem, ut vocatis, Canonicam indulſerunt, Eccleſiis vacantibus præfeciffè. Nos vero quæ Majorum noſtrorum recentiffimi ſtatuert, ſervamus, ſed etiam minimum iſtud, quod de veteri jure nobis relictum accepimus, nunquam dimittemus. Porro cum te ſententiæ meæ adverſari videam, nolo, ut ad Curiam, quam Geilenbuſium convocaturus ſum, venias.

c. 18.

Cum igitur plurimi Epifcopi & Optimates illuc conveniffent, Imperator orationem exorſus eſt in hunc modum: Scitis, quod me Papa perſequatur, quamvis ego mihi haud conſcius ſim, me officio unquam meo erga ipſum deſuiſſe. Dicit, nullum Laicum Decimas obtinere poſſe, quas Dominus Altari ſervientibus deſtinaffet. Nos vero minime latet, Eccleſiam ab hoſtibus oppugnatam Decimas in omne tempus conceſſiſſe viris nobilibus & potentibus, qui afflictæ deſenſionem in ſe ſuſceperunt, & quorum auxilio deſtituta ditiones ſuas conſervare non valuiſſet. Præterea dicit Papa, æquitati non eſſe conſentaneum, ut quisquam ſibi Jus Advocati in terras aut Vaſallos Eccleſiæ tribuat, ſed oportere,
ut

ut iis Præsules ea libertate fruantur, Sæcul. XII.
 qua eas primo receperunt. Nos vero A.C. 1186.
 baud arbitramur, facile mutari posse,
 quod antiqua consuetudine stabilitum est.
 Itaque, quid Episcopi de his sentiant,
 quero. Tunc vero Conradus Archie-
 piscopus Moguntinus surgens ait: Gra-
 vissimi momenti est hæc causa, nec no-
 strum est litem dirimere. Sentio, scri-
 bendum esse Pontifici, eumque a nobis ad-
 monendum, ut pacem reducat, & tibi,
 quod Iustitia petit, tribuat.

§. V.

Epistola Episcoporum Germaniæ.

Placuit omnibus consilium. Scripta
 igitur Epistola nomine omnium Ger-
 maniæ Episcoporum, eorumque Bulla,
 id est, sigillum appositum. Dicebant
 vero: *Vehementer dolemus, discórdiam* ap. Rad. de
inter Ecclesiam & Imperium oriri, Dis. p. 632.
 unde duo illi gladii colliduntur, qui mu-
 tuum sibi conferre auxilium deberent.
 Imperator in comitiis solemnibus ba-
 bitis conquestus est, quod dum ipse tibi
 amicitie sinceræ officia exhibet, dumque
 Regem Romanorum unicum filium suum
 pro defensione Ecclesiæ in mille pericula
 immittit, tu de industria infensum ani-
 mum ostenderis, cum Cremonenses, quos
 ipse publicos Imperii hostes declaravit,
 recepisti, cumque Italiæ urbes & inpru-